Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25978
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ossa firmitas animę. In psalmo. Omnia ossa mea dicent domine quis similis tibi. Vel certe in mala parte in libro Iob. Ossa eius uelut fistulę eris que significant fraudulenta consilia ministrorum antichristi et principum malorum de quibus psalmista. Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent.

Cartilago que ossis speciem habet sed ossis fortitudinem non habet significat ad perpetranda mala quoslibet debiliores.

Adeps pinguedo est diuinę gratię uel supernę saturitatis sapientię. In psalmo. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. In mala parte significant crassitudinem malicię. ut psalmista. Adipem suum concluserunt.

Medullę que interiores sunt ipsis ossibus et nichil interius medullis nostris habemus exprimunt infusionem in nobis caritatis deuotionis et conpunctionis. Hinc psalmista. Holocausta medullata offeram tibi. id est caritate ac beniuolentia inpinguata.

Pellis signum mortalitatis. In genesi. Fecit eis tunicas pelliceas.

Cutis significat illos qui solis exterioribus intenti interius marcescunt.

Pili sunt uitę uetus cogitationes. quas sic a mente abscidimus ut de amissione earum nullo dolore fatigemur.

Unde per moysen precipitur. Leuitę radant omnes pilos carnis suę. quia is qui in obsequiis diuinis assumitur debet ante dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere ne illicitas cogitationes mens proferat et pulchram animę speciem quasi pilis fructificantibus deformem reddat.

Caro in sancta scriptura aliter dicitur iuxta naturam atque aliter iuxta culpam uel corruptionem. Iuxta naturam ut scriptum est. Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Vel certe ibi. Verbum caro factum est et habitauit in nobis. Unde etiam apostolus discipulis. Vos autem in carne non estis sed in spiritu. Neque enim in carne non erant quibus epistolas mittebat. sed quia passiones carnalium desideriorum uicerant ideo in carne non erant. Caro uero iuxta culpam ut scriptum est. Non permanebit spiritus meus in hominibus istis quia caro sunt. Hinc et apostolus. Caro et sanguis regnum dei non possidebunt. id est corruptio et peccatum. Nam utique secundum eiusdem apostoli fidem caro ista resurget et ipsa merebitur incorruptionem dicente ipso. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale immortalitatem.

Sanguinis nomine intelligitur in bonam partem ut ait apostolus.